

hoc Confusionis jus, & quidem etiam ante tempora Justiniani, multæ leges Digest. & Cod. in seqq. thesibus adducendæ ostendunt: **Iure Canonico** cum non specialiter hoc jus reperiatum mutatum aut correctum, & eo jure obtinere dicendum: *arg. c. 1. Extr. de Nov. Oper. nunc.*

I X.

Huic confusionis juri occasionem dedit ipsa negotiorum natura; quæ non admittit, ut duo accidentia respectum ad se invicem habentia in uno concurrant subiecto: veluti, ut idem sit creditor & debitor. *l. 71. princ. vers. quia non possunt. ff. d. Fidejuss. l. 34. §. 3. in fin. ff. d. Solut. Debitor siquidem non est,* inquit Seneca, *sine creditore, non magis, quam maritus sine uxore, aut sine filio pater. lib. 5. de benef.* Et in quavis prædicamentali relatione duo requiruntur termini, qui vocantur relatum & correlatum, quibus necesse est duo substerni subiecta realiter a se invicem distincta, ita ut relatio, e. g. paternitas sit in uno (patre) ut subiecto inhaesionis, in altero (filio) ut in termino descendentiæ, ad quem relatio refertur; cum relatio aliud nihil sit, quam habitudo & ordo inter correlata, quorum ipsum esse est ad aliud esse, ita ut unum ad aliud formaliter referatur: Hinc propter hanc ipsam rationem Philosophus inter opposita etiam retulit, quæ mutuum talem erga se invicem habent respectum, quia nim. unum relatorum non potest esse alterum, & omnis affirmative prædicandi aptitudo in iis cessat: uti Logicorum filii hæc omnia fusius explicant.

Causa Im-
pulsiva

X.

Fit hæc confusio per **successionem**, quæ mediante fundamentum relationis seu accidens ad sustentandam relationem subiectum disponens ab uno relatorum in alterum derivatur, ita ut in uno tertio & relatum & correlatum concurrant: & quidem per successionem tum universalem tum singularem. Inter modos succedendi per universitatem principem locum tenet **Hereditatis aditio**, de qua passim in legibus nostris prædicatur, quod ea, siquidem creditor debitoris, vel debitor creditoris hereditatem adierit, ipso jure obligationem confundat. *l. 95. §. 2. l. 34. §. 8. l.*

Causa Effi-
ciens Proxi-
ma: nimirum
successio, ea-
que tum V-
niversalis, vñ
delicet.1. Heredita-
tis aditio,